IN FVNERE

FERDINANDI I.

VTRIVSQVE SICILIAE REGIS Etc. Etc. Etc.

JACOBI CASTRVCCII

HERCVLANENSIVM VOLVMINVM LECTORIS

INSCRIPTIONES





NEAPOLI MDCCCXXV

Typis Januarii Palma
Publica Auctoritate





EXCELLENTISSIMO VIRO

JOSEPHO RUFFO

MARCHIONIS HIERONYMI FILIO HONESTISSIMO

FRANCISCI I.

UTRIUSQUE SICILIAE REGIS

SACRIS DOMUS AUGUSTAE SCRINIIS

ET ORDINIBUS EQUESTRIBUS DIRIGUNDIS PRAEPOSITO

JACOBUS CASTRUCCIUS

S. P. D.

Cum Collegiata S. Simeonis prophetae Albeti erecta Ferdinando I. Utriusque Siciliae Regi P. F. A. justa persolvere statuisset, ejusdem Collegiatae Ecclesiae Archipresbyter Franciscus de Fazio (non mediocris eruditionis vir) mihi litteris demandarit, ut Inscriptiones funereo apparatui exornando appingi solitas concinnarem: id vero tametsi doloris mei vulnus recens inflictum vehementius refricaret, non invitus tamen feci, ut id oneris susciperem. Quid enim optabilius mihi accidere poterat, quam ut honestissima daretur occasio publice testandi meum erga tantum, tamque bene de me meritum Regem obsequium, observantiamque?

2

Nunc vero cum eidem placuerit, ut eas typis ederem, publicique iuris facerem, cui, obsecro, dedicabo, cuiusque sub nomine prodire illas jussero confidentius, quam sub Tuo, Vir Amplissime, atque Excellentissime?

Te enim habeo et Regiae in nos benignitatis participem, et doloris socium. Ille Te Sacris Domus Aug. Scriniis, et Ordinibus Equestribus dirigundis praefecit. Ille me Herculanensium voluminum lectorem declaravit. Tu Tusco carmine, eodemque latino, docto hercle, et lacrymoso (quod mihi dono mittere pro tua humanitate dignatus es) tanti Regis mortem flevisti. Hoc ipsum his inscriptionibus pro virili ego feci. Utrique tam acerbum dolorem non parum levavimus, quod Franciscum I. Regem, Ferdinandi I. virtutes strenue aemulantem, habeamus.

Quare sine quaeso, Vir Excellentissime, ut hoc, quodcumque reculae est Tuum in fronte Nomen gerat, eoque adversus, si qui erunt, obtrectatores se se tueatur. Vale, mihique sicubi deturlocus, bonus lubensque faveto.

Dabam ex aedibus meis VIII. Kal. Junii MDCCCXXV.

Pro Foribus Templi

HOSPES · CIVISVE · SI · PIVS · INGREDITOR
FERDINANDO · I · SICILIARVM · REGI · P · F · A ·
PATRIAEQVE · PATRI · BENEMERENTISSIMO
SVPREMA · HEIC · EXEQVIARVM · OFFICIA
ARCHIPRESBYTER · ABBAS · ET CANONICI
ALBETANAE . COLLEGIATAE . S . SIMEONIS
NVMINI · MAJESTATIQVE · EJVS · DEVOTISSIMI
PRO · OPIBVS · APPARATISSIMA
PERSOLVENDA · CVRANT
NON · SINE · LACRYMIS
V · ID · MART · MDCCCXXV·

In Antica Tumuli parte

FERDINANDI · I. PIENTISSIMAM · ANIMAM
SI · QVAE · LABECVLA · SVPERSIT
PIACVLARIBVS · SACRIS
ELVI · CIVES · CVREMVS
DEVMQVE · O · M · ENIXE · OBTESTEMVR
VT. ILLVM · QVAM · PRIMVM
SVO · BEATISSIMO · VVLTV · PERFRVI · IVBEAT

Ad dexterum Tumuli Latus

IVRISPRVDENTIAM · DIV · IACENTEM

BORBONIVS · SOLON · FERDINANDVS

DETERSO · SQVALORE · EXPLICATIS · AMBAGIBVS

RESTITVTO · JVDICIORUM · ORDINE

HAVSTA · EX · INTIMA · PHILOSOPHIA · IVRIS · AEQVITATE

EREXIT

ET · NOVO · LEGVM · CODICE · CONCINNATO

SIBI · GLORIAM · SVAE · GENTI · COMMODA

PARAVIT

In Antica Tumuli parte

FERDINANDI · I. PIENTISSIMAM · ANIMAM

SI · QVAE · LABECVLA · SVPERSIT

PIACVLARIBVS · SACRIS

ELVI · CIVES · CVREMVS

DEVMQVE · O · M · ENIXE · OBTESTEMVR

VT. ILLVM · QVAM · PRIMVM

SVO · BEATISSIMO · VVLTV · PERFRVI · IVBEAT

Ad dexterum Tumuli Latus

IVRISPRVDENTIAM · DIV · IACENTEM

BORBONIVS · SOLON · FERDINANDVS

DETERSO · SQVALORE · EXPLICATIS · AMBAGIBVS

RESTITVTO · JVDICIORUM · ORDINE

HAVSTA · EX · INTIMA · PHILOSOPHIA · IVRIS · AEQVITATE

EREXIT

ET · NOVO · LEGVM · CODICE · CONCINNATO

SIBI · GLORIAM · SVAE · GENTI · COMMODA

PARAVIT

In Postica Tumuli Parte

CATHOLICAM · RELIGIONEM

VEL · PER · CVNICVLOS · VEL · APERTO · BELLO

AB · HOSTIBVS · IMPETITAM

FERDINANDVS · I ·

QVAE · SEMPER · FVIT · MAXIMA · SVI · NOMINIS · GLORIA

ICTO · CVM · PIO · VII · P · M · AEQVISSIMO · FOEDERE

IMPROBATAE · LECTIONIS · LIBELLIS

OMNI · INTERCLVSO · ADITV

TVENDAE · FOVENDAEQ · STVDIOSAE · IVVENTVTI

OPTIMIS · PRAEPOSITIS · CVSTODIBVS

SARTAM · TECTAMQVE · SERVAVIT.

Ad Sinistrum Tumuli Latus

VIAE ·
PER · OMNES · NEAPOLITANI · REGNI · PROVINCIAS
DE · NOVO · STRATAE · VEL · COMMODIORES · EFFECTAE
PONTES · FLVMINIBVS · IMPOSITI
NAVALE · STABIIS · ERECTVM
HORREA · PROPE · MARE · AEDIFICATA
COMMERCIO · OPPORTVNISSIMA
DIOMEDEAE · INSVLAE · FREQVENTATAE
VARIOLARVM · PESTIS · VACCINA · INSITIONE · AMOTA
MVSEVM . REGIVM
OMNIGENA · ANTIQVITATVM . GAZA
REFERTISSIMVM
ALIAQ · EGREGIA · OPERA . IN · OCVLOS · INCVRRENTIA
QVI · QVANTVSQ · REX · FVERIT . FERDINANDVS
VEL . SI · LITTERAE · TACEANT
SATIS · SERAM · POSTERITATEM
DOCEBVNT ·

Ad Pilas Templi

1

SAEVIENTE · NOJAE · PESTILENTIA
BREVI · TOTVM · REGNVM · PERVASVRA
FERDINANDVS
MISSIS · EXTEMPLO · QVI · REM · CVRARENT
PROVIDENTIA · AC · LIBERALITATE · VERE · REGIA
EFFECIT
VT · CONTAGIO
ILLICO · ET · PRAETER · SPEM · IBIDEM · EXTINGVERETVR
VBI · NATA · ERAT.

2

BONAS · LITTERAS
IN. NEAPOLITANO · REGNO · SENSIM · DILABENTES
FERDINANDVS · PLVRIBVS ·
EXCITATIS. EPHEBEIS
AVCTIS · DOCTORVM · VIRORVM · HONORIBVS
STVDIOSAE · IVVENTVTI · PROPOSITIS · PRAEMIIS
ET · IMMVNITATIBVS
EO · ADDVXIT
VT · CVLTISSIMOS · POPVLOS · AD · AEMVLATIONEM ·
EXCITARET

3

LINQVA · AVRIBVS · OCVLISQVE · CAPTIS
DOMVM · FERDINANDVS · EREXIT · DOTAVITQVE
VT · IBI · SVB · PRAECEPTORVM · DISCIPLINA
GESTV · NVTV · ALIISQVE · SIGNIS
VEL · SVA · ALIIS · SIGNIFICARE · VEL. ALIENA · SENSA
IPSI · INTELLIGERE · EDOCTI
OPERAM · NON · EXIGVAM · SOCIETATI
PRAESTARENT

4

FERDINANDVS I.

DEDVCTAM · IN · AMOENVM · SALVBERRIMVMQVE · COLLEM
SANLEVCIENSEM . COLONIAM ·
SAPIENTISSIMIS · NON · MODO · LEGIBVS · COMMVNIVIT
SED · SERICO · INVECTO · ARTIFICIO
EOQVE · BREVI · AD · SOLERTIAE · CVLMEN · PERDVCTO
TOTAM · EAM · VICINIAM · LOCVPLETAVIT
MAXIMAMQVE · ILLI · NOMINIS · CELEBRITATEM
VEL ; APVD · EXTERAS · GENTES
COMPARAVIT

5

MVLTA · MVLTARVM · RERVM · OPIFICIA
MVLTO · CVM · IMPENDIO
DIV · SED · FRVSTRA · APVD NOS · DESIDERATA
FERDINANDI · PROVIDENTIA
IN · VARIAS · REGIONES · INVEXIT
TANTOQVE · STVDIO · EXERCENDA · CVRAVIT
VT · VIX · HODIE · SVPERSIT · QVOD · EXTERIS · GENTIBVS
INVIDEAMVS ·

6

FERDINANDUS I.

VTRAMQVE · FORTVNAM · EXPERTVS
IN · VTRAQVE · ALTERIVS · MEMOR. VIXIT
VT · NEQVE · ADVERSA · SE · NIMIS · AFFLIGI
NEQVE · SECVNDA · NIMIS · EXTOLLI · SIT · PASSVS

7

QVAE · VIVENTIBVS · DANTVR · LAVDES
VEL · ADVLATIO · LARGIORES, VEL · INVIDIA · PARCIORES
FACIT
QVAE · CONTRA · A · FVNERE · OMNIVM · HABENTVR
VERISSIMAE
GRATVLAMVR · PROPTEREA · TIBI · FERDINANDE
QVEM · IAM · DEMORTVVM · NEMO · NON · IMPENSE
LAVDAT
NEMO · NON · INSOLABILITER
LVGET·

8

FERDINANDVS · I · VTRIVSQVE · SICILIAE · REX
POPVLORVM · FELICITATI · BONOQVE · NATVS
VT : COMMERCIVM · REDDERET · VNDIQVE
EXPEDITISSIMVM
VIAM · LATINAM · VETVSTATE · CONSVMPTAM
E · SIDICINORVM · FINIBVS · CEPPARANVM · SORAM
ET · AD · FONTANVM · AGRVM · OBLIQVO · FLEXV
PERDVCTAM
EXCISIS · MONTIBVS · ET · PONTIBVS · PASSIM · INJECTIS
ROTIS · APTAM · AMOENISSIMAM · VEREQUE · REGIAM
MVNIFICENTIA · ADMIRABILI
RESTITVIT · MVNIVIT · AMPLIAVIT
